

---

DE INSIGNI USU  
**CALCULI IMAGINARIORUM**  
 IN CALCULO INTEGRALI.

Auctore

*L. EULER.*

---

*Conventui exhibuit die 3 Nov. 1777.*

---

§ I.

Cum nuper integrale formulae differentialis

$$\frac{\partial x(1+xx)^2}{(1-xx)\sqrt[4]{(1-6xx+x^4)}}$$

eruissem, quod, posito brevitatis gratia  $\sqrt[4]{(1-6xx+x^4)} = v$ ,  
 inveneram

$$= \frac{1}{2} \operatorname{Int} \frac{1+xx+vv-2vx}{1+xx+vv+2vx} - \operatorname{Arc. tang.} \frac{2vx}{1+xx-vv},$$

affirmare non dubitavi hoc ipsum integrale non nisi ope Calculi Imaginariorum obtineri posse. Tractaveram enim ante istam formulam differentialem:

$$\frac{\partial y(1-yy)^2}{(1+yy)\sqrt[4]{(1+6yy+y^4)^2}}$$